

Et autoritate noviter inforestavit, (e): OTTONIS III. de A. 1000. (f): concessimus potentiam, ut omnis sylva, quæ ad Castellum Bernheim seu ad Villam Luttershausen dictam, pertinere videtur NB. sicut nostri Juris publicum Forestum, tuta ac defensa, munita ac in perpetuum forestata habeatur, quatenus nullius hominis magna sive parva persona in eodem foresto venationem aliquam exercere, cervum, cervam, aprum sive apram, ursum sive capreolum capere præsumat. Si quis igitur hoc facere, quod absit, ullatenus ausus erit, ita nostrum Imperialem bannum componat, sacrosanctissimæ Wirzburgensi Ecclesiæ memoratæ, NB. uti in nostris publicis Forestis, aliquam forestatam caperet feram: atque idem forestum in omnibus sylvis sive campis, quæ ad descriptum Castellum, Villamque pertinent, in pagis Mulla-gii & Rangavii dictis, situm sit constitutum. HENRICI II. de A. 1008. (g): Bannum nostrum bestiarum, Baldrico S. Leodiensis Ecclesiæ Præsuli nec non Baldrico Comiti, super eorum proprias sylvas, quæ sunt inter illa duo flumina, quæ ambo Nithe vocantur, & tertium, quod Thila nominatur, sitæ, & quæ pertinent ad illas villas Heiste & Heisten, ac Badfrido, nec non Madines nominatas, quod tamen totum Wauerwald appellatur, in Comitatu vero Gotizonis Comitis, qui Antwerf dicitur, situm per hanc nostram præceptalem paginam concedimus atque largimur, & de nostro jure in eorum jus ac

A 2

domi-

(e) vide Schannati Codex probat. Historiæ Wormatiensis n. 31. p. 28.

(f) apud Lunig Reichs - Archiv. Spicil. Eccles. 2. Theil Tit. Würzb. n. 5. p. 934.

(g) apud Lunig. c. T. Tit. Lüttich n. 20. p. 492.